



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sectio 3. An ex vi huius censuræ teneamur vitare omnem hæreticum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

quando eleuatur; quia, secundum commune vulgum fidelium, ista sunt signa, quae reddunt hominem vehementer suspectum de heresi, & illam satis indicant, nisi ex circumstantiis significatio impediat.

2. Condicio.

Eius ratio.

Et variis casibus explicatur.

12. Secunda conditio est, ut exterior actus, aut verbum, per quod heresis interna manifestatur, sit graue peccatum externum intra rationem heresis. Ratio est, quia haec censura non incurritur, nisi propter heresim externam; ergo in illa eadem specie debet esse peccatum graue, quia nec censura, nec excommunicatio maior generatim loquendo, incurritur nisi propter peccatum mortale, neque ista in particulari, nisi propter tale peccatum. Deinde explicatur exemplis: nam qui interius commisit heresim, licet illa sacramentaliter confiteatur, non sit haereticus exterior, neque incurrit censuram, quia illa confessio non est professio heresis, sed potius accusatio, & optima actio. Similiter qui mentaliter errauit, & consultit virum doctum bona fide, & animo, ut remedium quaeratur, non propterea incurrit, quia ille actus non est peccatum, & consequenter non potest esse materia censurae. Idem dicendum est, si contingat, ut solet, aliquem in somno verbis exprimere, quod in vigilia cogitauit; nam licet hoc modo exterius proferat heresim, non incurrit censuram: tum quia ille actus exterior, re vera non est peccatum ex defectu libertatis: tum etiam, quia illud non est signum consensus in heresim, quia nec significat praesentem liberum consensum, quem dormiens dare non potest, nec praeteritum, quia possent verba illa oriri ex sola cogitatione praeterita sine libero consensu. Et ad hunc modum possunt multa in particulari inferri, & varij casus decidi, quos omitto, quia solum materialiter differunt, & in infinitum multiplicari possunt. Solum ergo est necessarium, principia posita recte applicari. De illis tamen videri possunt Iul. Clar. lib. 5. §. Heresis, nu. 24. & Hugolin. de Censur. Pontif. referuat. 2. p. cap. 1. num. 17. & Couarr. in regul. Peccatum, p. 2. in principio. Simancas tit. 31. num. 9. & tit. 42. num. 10. & sequentibus, & copiosius, quam ceteri Sanc. lib. 2. in Decal. cap. 8. Garcia de Benef. p. 11. cap. 16. à num. 98. & Farinac. de heresi quest. 187. à numero. 11. Videantur etiam dicta in tomo de censur. disp. 4. sect. 3. numero 17.

SECTIO III.

Virum ex vi huius excommunicationis teneantur omnes fideles ad vitandum omnem haereticum sibi notum.

Discrimen nouitius ab antiquo in hac re,

1. **V**T intelligantur dubia, quae in hoc puncto occurrunt oportet breuiter supponere ius antiquum, & nouum circa obligationem, quam fideles habent ad vitandum excommunicatum sibi notum. Nam iure antiquo, haec obligatio vniuersalis erat, nec postulabatur alia conditio ex parte excommunicati, nisi quod in ipsa excommunicatio nem incurrisset. Ex parte vero aliorum, solum erat necessaria sufficiens noticia censurae, hac tantum obseruatione adhibita, ut si excommunicatus esset occultus respectu aliorum, occulte vitaretur; si vero publicus, publice. Postea vero in Extrauag. *Adeuitanda*, edita in Concilio Constant. & postea probata in Basiliensi, limitata fuit illa obligatio, ut fideles tantum tenerentur vitare excommunicatum, in particulari, & nominatim denunciatum, ac declaratum, cum quadam limitatione, quam infra attingam. De quo iure videri possunt, quae dixi in to. 5. disp. 9. sect. 1. In praesenti ergo nulla est difficultas iuxta antiquum ius.

2. Dub. an haereticus non denunciatus sit vitandus.

2. De nouo autem iure potest esse primum dubium, an ita habeat locum in haereticis, sicut in alijs

excommunicatis. Et occasione dubitandi nobis tribuit Soto in 4. distinctione 20. quaestione vndecima, articulo quinto, conclus. 2. & distinctione vigesima quinta, quaestione prima, articulo primo, post tertiam conclusionem, vers. *Hic tamen*, & articulo tertio, colum. 9. vbi docet, omnes haereticos esse vitandos, in quo videtur quoad illos limitare dictam Extrauagantem *Ad vitanda*. Sed quia hoc nulla poterat ratione subsistere, hanc indicat rationem, scilicet, quia eo ipso, quod aliquis agnoscitur haereticus, tanquam nominatim excommunicatus ab omnibus habetur. Sed hoc etiam ut volunt: id dicitur, & plane falsum est, quia nullus est nominatim excommunicatus, nisi iudicis sententia intercedat, ut ex ipsa voce patet, & ex verbis praedictae Extrauagantis. At vero non omnes haeretici sunt per hominem iudicati, praesertim in particulari, sed tantum ipso iure excommunicati sunt: ergo non possunt dici omnes denunciati, etiam si cogniti sint. Quapropter statuendum est, hoc nouum ius Concilij Constantiensis etiam ad haereticos extendi, ut reliqui auctores omnes censent, quos statim referam, & verba Extrauagantis conuincunt, quae, & generalia sunt, & addunt exceptionem, quae firmat regulam quoad omnes alios, ut statim magis explicabo.

3. Secundum dubium est, an saltem teneantur fideles vitare publicum haereticum, etiam si nominatim denunciatus non sit, aliqui enim affirmant, & solet citari Syluest. verb. *Excommunicatio*, 5. nu. 7. & 8. & Couarr. in cap. *Alma mater*, 1. p. Paragr. 1. nu. 3. Sed non loquuntur in particulari de haeretico. Vnde de duobus modis potest haec sententia fundari. Vnus est, quia in dicta Extrauagant. ut habetur in Concilio Basiliensi, excipiuntur omnes manifesti excommunicati. Alius est, quia publica noticia requiritur declarationi iuridicae, ad quid enim declaratio necessaria est, ubi res est nota?

4. Contraria sententia omnino vera est, & practice certa, nimirum quantumcumque haereticus sit notorius, & publicus, non teneri fideles ad vitandum illum, ex vi huius censurae, donec sit per sententiam nominatim declaratus, ac denunciatus. Est communis sententia, & Auctores statim referam. Ad illam vero fundandam supponendum est, in exceptione, quae fit in dicta Extrauagant. *Adeuitanda*, itandum esse verbis illius legis, prout ex Concilio Constantensi, refertur, ubi solum excipitur notorius percussor clerici, & non prout habetur in Concilio Basiliensi, ubi generaliter excipitur omnis publicus excommunicatus. Quia licet Concil. Basiliensi, posterius fuerit, nihilominus Martinus V. prioris formam approbavit, & communi vniuersali recepta est, ut latius ostendi in dicto tomo 5. disputat. 9. sect. 2. & tradit Nauarr. Conf. 10. & 15. de heretico. Soto in 4. distinctione prima, quaestione quinta, articulo sexto, & distinctione 22. quaest. 1. artic. 1. Garcia part. 7. de Benef. cap. 14. à num. 40. & plures alij, quos ibid. refert. Hinc ergo euidenter inferitur nostra sententia, quia exceptio firmat regulam in contrarium; sed ibi fertur lex vniuersalis, ut non teneantur vitare excommunicatos non denunciatos, & non excipiuntur haeretici, sed soli percussores clericorum: ergo firmatur regula etiam respectu haereticorum. Et hinc etiam conuincitur, non esse idem, esse declaratum per sententiam, & esse notorium per factum, quandoquidem voluit illa lex in solo vno delicto sufficere notorietatem facti, etiam si sententia non interueniat. Et generaliter loquendo, verum non est, ubi specialiter lex requirit particularem sententiam declaratoriam, suppleri sufficiens per publicam notitiam facti, ut recte notauit Simancas titulo nono, numero centesimo sexagesimo sexto, & in sequenti disputatione latius dicemus.

5. Ex

5. Ex qua regula inferitur, non esse prohibitum nunc recipere sacramenta ab hæretico quantumvis noto, si deauntiatus non sit. Ita dixi in 3. tom. 3. partis disput. 18. & in disput. 72. sect. vlt. in fine, & late tradit, & explicat Nauar. conf. 1. de Conf. quæst. 24. & per aliquas sequentes, & confil. 10. & Sancius dicto libr. 2. cap. 9. numer. 10. & ratio est, quia non est magis prohibita hæc communicatio, quam alia. Neque obstat, quod D. Thomas 3. part. quæst. 82. ar. 9. negat licere accipere sacramenta ab hæretico noto, quia loquitur secundum ius antiquum, vt sect. 1. numer. 7. aduertimus. Habet autem hæc assertio specialem difficultatem in sacramento confessionis, quia in illo est necessaria iurisdicatio. Hæreticus autem non videtur habere iurisdictionem, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 39. art. 3. Dico tamen ex vi censuræ, non omnino aufertur iurisdicatio, donec persona declarata sit. An vero ex vi hæresis amittatur statim iurisdicatio, dicam in sect. 5. Addunt vero aliqui, quamvis hæc vera sint ex vi censuræ: nihilominus ex vi hæresis prohibitum esse fidelibus accipere sacramenta ab hæretico. Ita tenet Azor tom. 1. libr. 8. cap. 11. quæst. 7. Sed contrarium verum est, per se loquendo, vt in citatis locis dixi, & bene defendit Sancius supra, quia talis prohibitio neque est de iure diuino, vt supra docui, nec in iure Ecclesiastico inuenitur, sed iuxta censuram. Dixi autem per se loquendo, quia per accidens id potest esse malum; vel ratione scandali, quod alijs tribuitur, vel ratione periculi, cui se exponit, qui ab hæretico petit sacramenta, vel si illud non paratum ad tale ministeriū præstandum, sine necessitate inducat ad peccandū, seu ad id agendum, quod sine peccato faciendum non est. Item potest esse malum ratione cooperationis ad aliquam superstitionem, vt si hæreticus aliquo ritu non Catholico vfurus sit, vt varijs exemplis Nauar. & Sanc. bene declarant, & videri etiam potest Vasq. in Opus. de scandalo, dubio 4. Denique potest intervenire accidentaria malitia, ex aliqua speciali prohibitionem, qualis est in matrimonio contrahendo cum hæretico, de qua videri potest Sanc. l. 7. de Matrim. disp. 17. num. 5. & 6.

6. Tertium, ac principale dubium est, qualis declaratio, seu denuntiatio hæretici necessaria sit, & sufficiens, vt vitari ab omnibus debeat: duplex enim cogitari potest, vna per sententiam declaratoriam criminis, per quam scilicet pronuntiatur, hæresim commississe. Alia per sententiam declaratoriam censuræ, per quam scilicet pronuntiatur, censuram incurrisse, seu excommunicatum esse. Est ergo prima opinio, sufficere declarationem criminis, nam eo ipso, quod aliquis per sententiam denuntiatur, quod hæreticus sit, iuridice notificatur omnibus, quod excommunicatus sit, quia notissimum omnibus est, excommunicationem ab hæresi non separam. Hanc sententiam tenuit in tom. 5. disp. 9. sect. 2. num. 10. cum Soto libr. 9. de Instit. quæst. 1. a. 8. ad 1. & in 4. d. 1. q. 5. a. 6. post 8. conclus. & d. 13. q. 1. a. 9. & d. 22. q. 1. artic. 4. Tenuit etiam Petrus Soto lect. 4. de Excommunicat. Gutier. Medina, Henriques, & alij, quos refert Sancius dicto libro secundo, capite nono, numero quarto, dicens esse, probabilissimam sententiam.

7. Nihilominus idem Sancius contrariam magis probat cum Nauar. tract. de Oration. miscell. 47. in fine numero secundo, & sequitur Grassi in Decisionibus libr. quarto, capite vndecimo, numero quinto. Fundantur in verbis Extrauagantis, scilicet: Nisi sententia, vel censura, aut prohibitio contra personam certam à iudice publicata, & denunciata fuerit specialiter, & expresse. Vnde argumentantur, quia per sententiam tantum declaratoriam criminis non denuntiatur censura specialiter, seu formaliter, & expresse: sed tantum virtualiter, & quasi remotè, & in radice, sic enim censura in delicto continetur:

Suarez de Fide.

ergo per talem sententiam non satisfit verbis illius decreti: ergo non sufficit, vt inde oriatur obligatio vitandi hæreticum. Secundo, quia licet doctus, vel sufficienter instructus fidelibus, notum sit, hæreticum esse excommunicatum, multi nihilominus ex plebe facile hoc ignorare possunt: ergo non est illa sententia sufficiens ad obligandos omnes, nec per illam satisfit intentioni, & rationi illius decreti, quæ fuit, vt vitentur scandala, & occasiones, vel delinquendi, vel habendi scrupulos, & dubitationes circa euitationem excommunicatorum. Propter quæ rationem Sancius ita hoc exaggerat, vt dicat, non sufficere, vt sententia declararet talem esse hæreticum, & omnes penas hæreticorum incurrisse, vel etiam censuras contraxisse, si in generalibus verbis sistat, sed oportere, vt in specie declararet esse excommunicatum, quia omnis alia declaratio non est formalis, & expressa, neque omnem dubitationem tollit.

8. In hoc puncto in primis censeo, præfate, ac moraliter vix contingere, vt hæc dubitatio locum habeat, quia vt alias notauit Simanc. in Instit. tit. 9. num. 164. non solent iudices adeo breues esse in pronuntiandis sententijs, & condemnandis reis: vt declarant, illos commississe delictum, & non simul declarant satis distincte, & expresse, quæ pena ipsos afficiant, vel ipso iure affecti sint. Atque ita moraliter nemo per sententiam declaratur hæreticus, quin simul declaratur excommunicatus. Quod si iusta est, in praxi, cessat controuersia, & solum in speculatione relinquitur. Adde vero vltius, si sententia declararet, simul cum hæresi incurrisse censuram, id sine dubio satis, superque esse, & excedere videtur, qui hoc negat: quia nulla censura est ita frequens, & generalis, sicut est excommunicatio, & ita iuxta communem vsum fidelium hæc primū concipitur, quando fit talis declaratio, max. me si delictum non sit proprium clericorum, sed commune omnibus Christianis, vt esse solet hæresis. At vero etiam posito casu, quod sententia sistat in declaratione delicti hæresis, quamvis secunda opinio probabilis sit, permanendum censeo in prima, quia & securior, & communior est, & certe probabilior. Primò quia verba illa specialiter, & expresse, referri possunt ad personam, & non ad censuram. Secundo, & melius: quia Extrauagans sub distinctione dicit, sententia, vel censura, vel prohibitio, & postea addit, formaliter, & expresse ergo satis est, quod hæc vltima verba verificentur de aliquo membro ex multis prius sub distinctione numeratis: sed ibi sententia fertur formaliter, & expresse, & per illam declaratur reus, & sufficenter condemnatur: ergo in rigore impletur conditio ibi requisita. Tertio secundum communem existimationem fidelium, eo ipso quod aliquis habetur hæreticus, habetur etiam præcisus, & excommunicatus: ergo moraliter, & secundum communem modum concipiendi satis declaratur excommunicatus, qui hæreticus pronuntiatur. Quarto, ex fine illius legis, nam ista sententia tutior est ad vitanda scandala, & occasiones malorum, quæ ex communicatione cum hæretico præsertim iam declarato oriri possunt. Neque è contrario aliquid periculi est in hac obligatione, quia illa ignorantia, quæ à Sanctio opponitur, vel nulla, vel rarissima est, & quando interuenit, ipsa à nouo peccato excusabit. Denique hæc sententia est magis fauorabilis fidei in cuius fauorem solent etiam leges penales extendi, vt notauit Roias cum multis, quos refert singular. 156. ergo è contrario restringi potest, si necessarium fuerit, hæc moderatio excommunicationis in eiusdem fidei fauorem: est enim non paruus, quod hæretici vitentur, cum primum per sententiam specialem in particulari declarati fuerint.

); (

Ee 2

SE-

Secundo.

Author in ipsa opinio ne persistat.

Ostenditur:

2

3

4

5

SECTIO III.

*Utrum hac excommunicatio reservata sit,
& quis possit ab illa ab-
soluere.*

1.
Quod soli
Deo reserva-
ta sit absolu-
tio heretici,
hæreticum
esse ostendi-
tus.

Distingueda in primis est reservatio culpæ à reservatione censuræ. De culpa enim fuit o-
lim hæresis Novatiana afferens, absolutionem hu-
ius culpæ ita esse reservatam, ut solus Deus possit il-
lam tollere, nec sit in Ecclesia potestas absolvendi
ab illa. Contrarium tamen est de fide certum, quia
Christus indissolubile, & sine limitatione dixit: *Quorum
remiseritis peccata, remittuntur eis*, & dictum est late in
tom. 4. in 3. part. disp. 3. & tradunt Pontifices Siri-
cius epist. 1. & Leo 1. epist. 89. & 90. in fine, & Conci-
lium Elibertinum Canon. & 29. & Concilium Are-
laten. 1. & plura videri possunt in Castrol. 1. de iusta
hæret. punit. c. 21. & Mendoça super Concilium Eli-
bertin. l. 2. c. 46. Est ergo certum dari in Ecclesia po-
testatem ad absolvendum à culpa hæresis, quantum-
cunque grauis, & multiplicata seu iterata fuerit.

Hæresis per
se non refer-
uatur, sed
media refer-
uatione cen-
suræ annexæ.

2. Quod vero ad eius reservationem pertinet,
dicendum est, si culpa per se, ac præcisè spectetur, non
esse iure communis reservatam. Dico, si per se, ac præcisè
spectetur, id est, non coniuncta censuræ. Nam ad-
iuncta censura, certum est reservari, ut statim dice-
mus. Intelligendum est autem, quando culpa habens
annexam censuram, reservatur media reserva-
tione censuræ, etiam ipsam culpam in se reservari,
quia tollitur iurisdictio ad absolvendum ab illa, ut
ex materia de talibus reservatis suppono, & ita maxi-
me fit in præsentis culpa, quæ maximo rigore re-
servatur, quando iuxta censuram annexam habet. Dixi
etiam, iure communis, quia ius Pontificium non solet
reservare culpas, nisi habentes annexas censuras re-
servatas, quod etiam in præsentis culpa observatur,
ut notat Navar. in sum. cap. 27. n. 260. & seq. & Sanc.
allegando multos dictos libr. 1. ca. 8. Et nos etiam di-
ximus to. 4. in 3. p. disp. 19. sect. 2. n. 8. Episcopi autem
per sua statuta synodalia solet reservare culpas, etiam
si non habeant censuram annexam, quod maxi-
me in hoc delicto facere possunt, reservando cul-
pam independentem à censurâ, ita ut quamvis obti-
neatur absolutio à censurâ, nihilominus reservatio
culpæ duret, quod in Papali reservatione non ita
est, ut auctores citari, & oēs docent. Imo solent ali-
qui Episcopi etiam hæresim mentalem reservare,
quod quidem in summo rigore iuris facere possunt,
quia reservatio non est usus iurisditionis externi
fori, sed est ablatio iurisditionis pro foro sacramen-
tali, quam Episcopus sicut dare potest, ita etiam au-
ferre. Nihilominus tamen auctores communiter
non consulant, neque laudent talem reservationem
propter animarum periculum: nam actus interio-
res frequentes, & molesti sunt, & difficile cogno-
scuntur. Et ita etiam ego credo regulariter non ex-
pedire. Si autem alicubi fiat, non damno, quia pos-
sunt particulares causæ ad id inducere.

Vide in to.
de pœnit. 29

Reservatio
culpæ pure
mentalis pos-
sibilis, sed pa-
rum laudabi-
lis est.

3. At vero de excommunicatione ob hæresim ex-
ternam certum est, esse Summo Pontifici reserva-
tam, non quidem antiquo, seu communi iure, quod
in corpore iuris canonici inveniatur, sed per Bullâ
Cænæ Domini. Unde circa ius antiquum advertere
oportet, olim propter hoc delictum impositam fuisse
lapis perpetuam communionis privationem, ita
ut etiam in articulo mortis eis non daretur, quâvis
resipiscerent, ut constat ex Concilio Arelaten. c. 23.
& Concilio Elibertino can. 1. & 3. ubi Ferdinand.
Mendoça multa de hac consuetudine congerit. Illa
verò communionis privatio non erat vera excommuni-
cacio, nunquam enim Ecclesia permittit fide-
lem pœnitentem decedere excommunicatum, si de-
tur copia ministris, qui possint hominem morientem
reconciliare: sed erat privatio solius sacramentalis

Excommuni-
cacio ob hæ-
resim nunc
in Bullâ Cæ-
næ reservat-
ur olim so-
lum commu-
nio Eucharis-
tiæ vetaba-
tur.

communio, ut dictus auctor bene explicat, & a-
perte colligitur ex can. 3. 18. 47. & 48. eiusdem Con-
cilij Elibertini. Et hoc etiam modo erat mortale sa-
tis rigorosus, licet fortasse illis temporibus conve-
niens, & ideo discessu temporis moderatus, vel ab-
latus est, ut dixit Innoc. 1. in epist. 3. ad Exuperium
cap. 1. Unde Siricius Papa in epist. 1. permittit dari
communione resipiscuntibus ab hæresi, saltem in
art. mortis, & dictum Concilium Elibertin. can. 22.
id concedit post decennium à perfecta pœnitentia.
Postea vero totum hoc negotium Episcopis com-
missum videtur, tanquâ ordinariis iudicibus hu-
ius delicti, ut sentiunt Carrerius in tract. de Hæret.
num. 70. & sequentibus. & Simanc. tit. 3. & Caetan. in
sum. verbo. *Excommunicatio* cap. 1. & sumitur ex cap.
Presbyteros dist. 50. quod in foro iudiciali, & externo
loqui videtur. Loquendo autem de foro conscientie,
nulla propria reservatio huius censuræ in cor-
pore iuris inveniatur, ut patet ex cap. *Damnatus* 1. &
2. de hæret. & ex cap. *Ut officium*, eodem tit. in 6. Ni-
hilominus tamen reservatio, quæ fit in Bullâ Cænæ
iam est satis antiqua, & vim habet iuris communis,
& omnino servanda est, sicut rigorose servatur. Un-
de fit, ut nullus præter Romanum Pontificem, cui
hæc reservatio fit, possit ab hac censura absolvi ex
defectu iurisditionis, & consequenter neque à cul-
pa iuxta dicta in priori puncto, quod intelligitur de
culpa hæresis externæ: nam per mentalem non in-
curritur excommunicatio, ut diximus, & ideo sub
illa reservatione non comprehenditur.

4. Potest autem Pontifex alijs committere po-
testatem absolvendi ab hac censura, & qui illam
habuerit, consequenter absolviere poterit. Nec de
potestate est difficultas. Dubium autem est, in quib.
casibus, vel quibus personis detur hæc facultas absolu-
di ab hæresi. In quo quatuor puncta breviter expli-
canda occurrunt. Primum est de facultate, quæ da-
tur Episcopis in Concilio Trid. sess. 24. cap. 6. de Re-
format. ut possint absolvi ab omni censura ocul-
ta, in foro tantum conscientie per se, vel per Vicarium suum
ad id specialiter deputandum, & additur: *Etiā ab heresi
occulta per se tantum, & non per Vicarium*. Quod decre-
tum integre, & doctè explicat in hac materia Sanc.
dicto l. 2. ca. 11. Sed quia materia eius communis est,
ad alia delicta: & censuras, omitto illa, quæ genera-
lia sunt, de quibus dixi in to. 4. disp. 30. se. 2. & to. 5. disp.
41. se. 1. Hic a. tria, quæ sunt magis propria declarabo.

5. Primo igitur explicandum est illud verbum: *Episcopi in
foro conscientie*: quod licet sit commune alijs deli-
ctis, in hoc specialiter est considerandum. Nam per
illud non restringitur illa facultas, ut Episcopi non
possint illa uti, nisi in sacramentali foro, & præmis-
sa confessione: quia in primis verba in rigore hoc
non significant, & non sunt sine causa restringenda.
Deinde quia absolutio ab illa censura potest dari si-
ne absolutione à culpa: ergo non est eorum limitetur ad
Sacramentum, quod solum pro absolutione à pec-
catis necessarium est. Imo nec sacerdotum ad usum
illius facultatis necessarium est: nam Episcopus, Dia-
conus V. g. & nondum ordinatus sacerdos posset ab-
solvi ab hac censura, & remittere subditum ad
quemlibet sacerdotem proprium pro absolutione à
culpa, quæ iam tunc reservata non esset, ablata cen-
sura iuxta dicta in principio. Et hæc est communis sen-
tentia, ut in citatis locis dixi, & docet Navar. cōf. 11.
de Priu. q. 2. & San. l. 8. de Matr. disp. 34. n. 29. tandem
facetur Garcia de benef. p. 11. c. 10. n. 138. licet ipse co-
trarium sequatur.

6. Per illa ergo verba restringitur hæc facultas
quoad effectum: nam solum liberat pœnitentem à
censura in foro conscientie, & similiter à pœna in foro
Dei, non tamen in foro iudiciali, & Ecclesiæ. Nam si
postea illud delictum ad iudicium inquisitionis veniat,
& sufficenter probetur, poterit reus condemnari pœnis
hæreticorum, priori absolutione non obstante. Unde
obiter

Episcopi
Episcopi

Episcopi
vi Triden-
non abso-
lutionem
lendam
censuram
sententia.

Vicarius
Episcopi

Sed tantum
absolutio
valeat pro
foro exte-
riori